

de qua notitia agitur, Rom. I, 20. qua de re philosophi plura.

§. 18. *Notitia DEI reuelata* ex scriptura S. descendit, illaque naturali longe perfectior et longe certior est, de qua Matth. XVI, 17.

*Notitia  
Dei reue-  
lata.*

§. 19. *DEVS* quoad *essentiam* suam consideratus, recte describitur, per *Spiritum independentem*, ubi generis locum *Spiritus*, quem *conceptum DEVS* cum angelis et anima humana communem habet, *differentiae* vero *specificae* vicem *independentia* obtinet.

*Descriptio  
DEI.*

§. 20. Vtrum haec sit *definitio accurata*, aut qualiscunque descriptio, haud ita pridem inter theologos atque philosophos *Vitembergenses* et *Ienenses* acriter controuersum est. Parum refert, quam tuearis sententiam, cum lis tantum sit de terminis. Si *definitio proprie et accurate accepta* ea sit, quae habet *genus proximum*, et *differentiam species determinantem*, tum *DEVS* definiri non potest. Non enim habet genus, quia non habet sub se species, sed vnam speciem, utpote *Spiritum creatum* seu *Angelum*, et alterum indiuiduum, i. e. *DEVM*. Si *definitio accurata* sit omnis ea, quae habet *conceptum generalem* et *specialem* seu determinatum, tunc *DEVS* definiri utique potest. Habet enim *conceptum genericum*, cum aliis conuenientem, h. e. *Spiritum* et *specificum* seu determinantem, i. e. *independentiam*. Neque tamen impedit, quod *DEVS* non habet terminos seu fines, adeoque terminari et definiri non possit. Nam

*An haec  
descriptio  
sit definitio.*

defi-